



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

Qvaest. XLI. De tentatione Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

mandauit, vt tolleretur lectum suum, ergo videtur, quod non fuerit secundum legem conuersatus.

2. Præterea. Eadem Christus fecit, & docuit, secundum illud Actor. 1. Cæpit Iesus facere, & docere. Sed ipse Matthæi 15. docuit, quod omne quod intrat in os, non coquinat hominem, quod est contra præceptum legis, quæ per esum, & contactum quorundam animalium dicebat hominem immundum fieri, vt patet Leuit. 11. Ergo videtur, quod ipse non fuerit secundum legem conuersatus.

3. Præterea, idem iudicium videtur esse facientis, & consentientis: secundum illud Roman. 1. Non solum illi qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus. Sed Christus consentit discipulis suis soluendis legem, in hoc quod sabbatho spicas vellebant excusando eos: vt habetur Matth. 12. Ergo videtur quod Christus non conuersatus fuerit secundum legem.

Hom. 16 in
Matth. 4.
p. a princ. il-
lus tom. 2.

Sed contra est, quod dicitur Matth. 5. Nolite putare quoniam veni soluere legem aut prophetas. Quod exponens Chrysost. dicit Legem impleuit, primo quidem nihil transgrediendo legalium, secundo iustificando per fidem, quod lex per litteram facere non valebat.

Responsio: dicendum, quod Christus in omnibus secundum legem præcepta conuersatus est. In cuius signum etiam voluit circumcidere: circumcisio enim est quadam potestatio legis implende: secundum illud Galat. 5. Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Voluit autem Christus secundum legem conuersari: primo quidem, vt legem veterem approbares. Secundo, vt eam obseruando, in seipso consummaret, & terminaret, ostendens, quod ad ipsum erat ordinata. Tercio, vt Iudeis occasionem calumniandi subtraheret. Quarto, vt homines à seruitute legis liberaret: secundum illud Galat. 4. Misit Deus filium suum factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus super hoc se excusat à transgressione legis tripliciter. Vno quidem modo, quia per præceptum de sanctificatione sabbathi, non interdicitur opus diuinum, sed opus humanum: quamuis enim Deus die septimo cessauerit à nouis creaturis condendis, semper tamen operatur in rerum conseruatione, & gubernatione. Quod autem Christus miracula faciebat erat operis diuini. Vnde ipse dicit Ioannis quinto. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Secundo excusat se per hoc, quod illo præcepto non prohibentur opera, quæ sunt de necessitate salutis etiam cor poralis. Vnde ipse dicit Luc. decimotercio. Vnusquisque vestrum sabbatho non soluit bouem suum, aut asinum à præsepelio, & ducit ad aquam? Et infra 14. Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum caderet, & non continuo extrahet illum die sabbathi? Manifestum est autem, quod opera miraculorum, quæ Christus faciebat, ad salutem corporis, & anime pertinebant. Tercio, quia illo præcepto non prohibentur opera, quæ pertinent ad Dei cultum. Vnde dicitur Matth. 12. An non legis in lege, quia sabbathum violant, & sine crimine sunt? & Ioannis septimo dicitur, quod circumcisionem accipit homo in sabbatho. Quod autem Christus paralytico mandauit, vt lectum suum sabbatho portaret, ad cultum Dei pertinebat, id est, ad laudem virtutis diuinæ. Et sic patet, quod sabbathum non solvebat, quamuis hoc ei Iudei falso obijcerent, dicentes Ioan. 9. Non est hic homo à Deo, qui sabbathum non custodit.

Ad secundum dicendum, quod Christus voluit offendere per illa verba, quod homo non redditur immundus secundum animam ex vsu ciborum quorumcumque secundum suam naturam, sed solum secundum quandam significationem: quod autem in lege quidam cibi dicuntur immundi, hoc est, per quandam significationem. Vnde Augustinus dicit contra Faustianum, si de porco & agno requiratur: vtrum natura mundus est, dicimus, quia omnis creatura Dei bona est, quadam vero significatione agnus mundus, porcus immundus est.

Ad tertium dicendum, quod etiam discipuli quando esurientes, spicas sabbatho vellebant, à transgressione legis excusantur, propter necessitatem famis. Sicut & Dauid non fuit

Fr. Suarez, tom. 2.

li. 6. c. 7. non
longo à prin-
cipio.

tom. 6.

A transgressor legis, quando propter famis necessitatem comedit sanctos panes, quos ei edere non licebat.

Hic articulus diligenter expositus est superiori tom. disp. 43. sect. 2. dum quaeritur. Vtrum Christus subiectus fuerit alicui legi. Quapropter earundem rerum inuiti repetitione lectori molesti non erimus. Quod in sequentibus semper obseruabimus.

QVÆSTIO XLI.

Detentatione Christi, in quatuor articulos diuisa.

De qua Doctores super Matth. cap. 4.

Einde considerandum est de tentatione Christi.

Circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo, vtrum fuerit conueniens Christum tentari. Secundo, de loco tentationis. Tercio, de tempore. Quarto, de modo, & ordine tentationis.

ARTICVLVS I.

Virum conueniens fuerit Christum tentari.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Christo tentari non conueniebat. Tentare enim est experimentum sumere, quod quidem non fit nisi de re ignota. Sed virtus Christi erat nota etiam demonibus: dicitur enim Luca 4. quod non sinebat demones loqui: quia sciebant eum esse Christum. Ergo videtur, quod non decuerit Christum tentari.

Opusc. 60.
c. 11. prin.

2. Præterea, Christus ad hoc venerat, vt opera diaboli dissolueret: secundum illud Ioan. 3. In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. Sed non est eiusdem dissoluere opera alicuius, & ea pati. Et ita videtur inconueniens fuisse, quod Christus pateretur se tentari à diabolo.

3. Præterea, Triplex est tentatio, scilicet à carne, à mundo, & à diabolo. Sed Christus non fuit tentatus nec à carne, nec à mundo. Ergo nec etiam debuit tentari à diabolo.

Sed contra est, quod dicitur Matthæi 4. Ductus est Iesus à spiritu in desertum à diabolo.

Respondeo dicendum, quod Christus tentari voluit. Primo quidem, vt nobis contra tentationes auxilium ferret. Vnde Gregor. dicit in hom. Non erat indignum redemptori nostro, quod tentari voluit, qui venerat occidere: Iustum quippe erat, vt sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare. Secundo propter nostram cautelam, vt nullus quantumcumque sanctus se aestimet securum, & immunem à tentatione. Vnde & post baptismum tentari voluit: quia sicut Hilarius dicit super Matth. in sanctificationis nobis maxime diaboli tentamenta grassantur: quia victoria magis est ei exoptata de sanctis. Vnde & Eccles. 2. dicitur. Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & prepara animam tuam ad tentationem.

Hom. 16 in
Euang. non
longo à prin.

Canon 3. in
Matth. non
longo à prin.

Tercio, propter exemplum, vt scilicet nos instrueret qualiter diaboli tentationes vincamus. Vnde Augustinus dicit in quarto de Trin. quod Christus diabolo se tentandum præbuit: vt ad superandas tentationes eius mediator esset, non solum per adiutorium, verum etiam per exemplum.

lib. 4. c. 13.
aliquantulum
à princ. to. 3.

Quarto, vt nobis fiduciam de sua misericordia largiretur. Vnde dicitur Heb. 4. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Augustinus dicit in 9. de Ciuitate Dei, Christus tantum innotuit demonibus, quantum voluit: non per id quod est vita æterna, sed per quedam temporalia sue virtutis effecta: ex quibus quandam coniecturam habebant Christum esse filium Dei. Sed

lib. 9. c. 22.
à princ. to. 5.

2 3 quia

Chione 3. in
Matth non
remote à
prin.

Amb 1. 4. in
Luc. c. 14. in
ord in tit. de
1. tentatione
Christi 10. 2.

lib. 13. c. 13. in
prin. tom. 3.

Hom. 16.
Euang non
longe à prin.

Hom. 16. Eu
ang non lon
ge à prin.
Hom. 31. in
Lucam in
prin. tom. 3.

Quia rursus in eo quædam signa humana infirmitatis videbantur, non pro certo cognoscebant, enim esse filium Dei, & ideo eum tentare voluit. Et hoc significatur Matth. 4. ubi dicitur, quod postquam esurijt, accessit tentator ad eum: quia ut Hilarius dicit. Tentare Christum diabolus non fuisset ausus, nisi in eo per esuritionis infirmitatem quæ sunt hominibus, recognosceret. Et hoc etiam patet ex ipso modo tentandi, cum dicitur, Si filius Dei es, quod exponens Ambrosius dicit. Quid sibi vult talis sermonis exorsus, nisi quia cognouerit Dei filium esse venturum, sed venisse per hanc infirmitatem corporis non putabat.

Ad secundum dicendum, quod Christus venerat dissolvere opera diaboli, non potestatiue agendo, sed magis ab eo, & eius membris patiendo, ut sic diabolus vinceret iustitiam, non potestatem, sicut Aug. dicit 13. de Trinit. quod diabolus non potentia Dei, sed iustitia superandus fuit. Et ideo circa tentationem Christi considerandum est, quid propria voluntate fecit, & quid à diabolo passus fuit. Quod enim tentatori se offerret, fuit propria voluntatis. Unde dicitur Matth. 4. Ductus est Iesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Quod Gregorius intelligitum dicit de Spiritu Sancto: ut scilicet illum eum Spiritus suus duceret, ubi eum ad tentandum spiritus malignus inueniret. Sed à diabolo passus est, ut assumetur, vel supra pinnaculum templi, vel etiam in montem excelsum valde. Nec est mirum (ut Gregorius dicit) si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam à membris ipsius crucifigi. Intelligitur autem à diabolo assumptus non quasi ex necessitate: sed quia (ut Origenes dicit super Lucam) sequebatur eum ad tentationem, quasi athleta sponte procedens.

Ad tertium dicendum, quod, sicut Apostolus dicit, Christum in omnibus tentari voluit absque peccato. Tentatio autem, quæ est ab hoste, potest esse sine peccato: quia fit per solam exteriori suggestionem. Tentatio autem, quæ est à carne, non potest esse sine peccato: quia huiusmodi tentatio fit per delectationem, & concupiscentiam. Et sicut Aug. dicit nonnullum peccatum est quando caro concupiscit aduersus spiritum spiritum. Et ideo Christus tentari voluit ab hoste sed non à carne.

COMMENTARIUS.

lib. 19. de ci
uit. Dei. 4.
à med. 10. 5.

Tentari cu
Christus de
buit.
Cyprian.
Chrysost.

Tertul.

Damaso.
Ambros.

Augustin.

Rationes D. Thomæ optimæ, & perspicuæ sunt, atque ex sanctis patribus desumptæ, quos ipse refert, quibus addi potest Cyprianus sermone de ieiunio, & tentat. Christi, ubi inter alia, inquit. Voluit sapientia Dei erudiendos informare exemplo, & contra tentamenta proponere documenta, ut videret, & sentiret humana ratio, quam insuperabilis sit, victrixque peccati, si libero moderamine dirigatur. Addit Chrysostomus homilia 13. in Matth. idem post baptismum tentatum fuisse. Ut unus, qui que baptizatorum, si post baptismum maioribus tentationibus urgeatur, non turbetur, quasi insperatum sibi aliquid obuiuerit. In hom. verò 5. imperfecti dicit ideo tentatum esse Christum, postquam testimonio Patris declaratus est filius Dei, ut significaret nobis, quando abrenuntiamus diabolo, & filij Dei per baptismum efficiamur, tunc totis nos, & viribus, & impetu agitari à dæmone, quasi à se alienos, & iam Christi milites designatos. Significatum est, inquit Tertullianus lib. de bapt. c. ult. neminem intentatum regnum Dei consequitur, simul verò declaratum est, ait idem Tertullianus de ora. c. 8. quis sit artifex, & præses tentationum omnium, dataque nobis est virtus ad eum superandum, ut docuit Damasus lib. 3. cap. 20. & in idem redit quod ait Athanasius lib. de passionibus, & cruce Domini non longe à fine, tentatoris vires esse contrafractas, ita ut à sectatoribus Christi conculcari, & ludibrio haberi possit. Quod rectè exposuit Aug. lib. 3. de mirabil. sacræ Scripturæ cap. 6. dicens. Cum inimicus damnatur, & vincitur, humano generi libertas, & redemptio preparatur. In hoc namque conflictu, dum Sathanas supra aut horè se eleuare voluit, homo, qui sub eo illuc usque fuerit, per Domini victoris auxilium ultra ipsum excreuit, & dum contra fortiores pugnare nititur, interim

ille qui erat infirmior, aduersus eum roboratur. Ac denique eleganter Ambrosius lib. 4. in Luc. ductus est, ut diabolus prouocaret, nam nisi ille certasset, non mihi iste vicisset. Myserio, ut illum Adam de exilio liberaret. Exemplo, ut ostenderet nobis diabolum ad meliora tendentibus inuidere, & tunc magis esse cauendum, ne myserij gratiam deserat mentis infirmitas.

Sed est hoc loco obseruandum (ut simul solutionem ad D. Thom. explicemus) alias esse causas, ob quas Christus se tentari permisit, quas citati patres explicarunt: alias vero, ob quas Dæmon Christum tentare ausus est. Alios enim homines potissimum tentat Dæmon, ut ad peccandum inducat. Christum vero nec solum, nec præcipue eam ob causam aggressus est, sed potissimum, ut exploraret, verum vere filius Dei esset. Varijs enim modis & suspicatus fuerat, & audierat (inquit Chrysostomus dicta homil. 5. imperfecti) Christum esse filium Dei, & Saluatorem mundi, ab Angelis in die natiuitatis, à Ioanne, & à Patre in baptismo, aliunde vero signa, & infirmitates veri, ac passibilis corporis in eo conspiciebat, & ideo accessit exploraturus, an esset vere filius Dei. Quod satis indicauit prima interrogatione, si filius Dei es, quod omnes expositores intelligunt de filio Dei vero, ac naturali. Nam quod Christus esset filius Dei per gratiam, id est, bonus ac sanctus, dubitare non poterat, cum peccatum nullum, opera autem virtutis innumera in eo conspexisset. Quin etiam declarauit hoc in eo signo, quod ab eo postulauit, Dic, ut lapides isti panes fiant. Nam à puro homine, licet sancto non erat cur huiusmodi signum exigeret, quia certus erat opus illud, nec potuisse fieri humana virtute, imo neque Angelica, neque ignorabat, homini iusto ex eo, quod sit filius Dei adoptiuus, non statim dari virtutem ac familia opera facienda: de filio autem Dei naturali non dubitat, quin tale miraculum edere posset. Voluit ergo explorare, an esset filius Dei naturalis: & ita exponunt Chrysostomus, Cyprianus, & reliqui patres supra citati.

Ex quo intelligimus primo, dæmonem vsque ad illud tempus nondum agnouisse, Christum esse verum Deum, an vero illum postea cognouit, infra disputabimus. Hoc vero facile credi potest: tum ex hac ipsa tentatione, nam si persuasus esset, Christum esse verum Deum, ac naturalem, illum aggregi ausus non esset. Tum etiam quia vsque ad id tempus nondum Christus fecerat miracula in suæ diuinitatis testimonium, & quamuis multa mirabilia in eius conceptione, & natiuitate contingerant, nonnulla creduntur fuisse dæmoni occultata virtute diuina, ut conceptio ex virgine sine viro, & fortasse alia similia. Præterea cum opportuerit Deus illa omnia efficere in puro homine, dubitare potuit dæmon, factum ne ita fuisset. Quando vero audiebat Christum vocari filium Dei, etiam potuit decipi, & existimare solum propter singularem sanctitatem, & beneuolentiam Dei erga illum ita appellari.

Quocirca potius potest aliquis inquirere, quomodo potuerit dæmon dubitare, an Christus esset filius Dei naturalis, cum non dubitaret eum esse verum hominem, & de mysterio vnionis hypostaticæ nihil posset suspicari. Respondetur (ut omitamus quæstionem illam: an ex carentia substantię potuerit in hanc suspensionem venire, de qua in priori tomo satis dictum est) cum Ambr. lib. 4. Luc. & Th. hic cognouisse dæmonem Dei filium esse venturum, quod intelligere potuit, vel per illam reuelationem, quam de Dei Incarnatione habuit, statim ac creatus fuit, cuius occasione, & inuidia peccauit, per quam licet nec tempus, nec modum, nec causam humanæ redemptionis agnouit, habuit tamen notitiam aliquam hypostaticæ vnionis, quam non solum possibilem, sed & futuram esse credidit, & ideo perspectis indiciis, quæ in Christo iam viderat, merito in suspensione diuinitatis ei venire potuit. Vel certe cognoscere potuit Deum esse

Ambros.

Dam. Chri.
stus cur
tentauit.

Chrysost.
Cyprian.

Dubium.

Responsio.

Ambros.
D. Thom.

De Christi
diuinitate
dubitare
dæmon quo
modo posuit.

esse venturum per Scripturas, & oracula Prophetarum, quibus satis aperte predictum erat Messiam venturum, & futurum esse verum Deum, & hominem, ut in princip. prioris tomi probatum est. Eas ergo cum intelligeret demon, dubitare potuit, an Iesus esset Messias, & consequenter an esset verus Deus. Dices, ex Scripturis cognitionem accepisset, non esset verum, quod statim addunt Ambrosius & D. Thomas, Sed venire per hanc infirmitatem corporis non putabat. Quia ipsidem Scripturis satis manifestum erat, Messiam quidem (quamvis verus Deus futurus esset) venturum tamen mortalem, atque passibilem: ergo demon, eo quod videret Christum passibilem, non dubitaret, an esset verus Deus, ut dicti Patres dicunt, sed potius coniungendo signa infirmitatis cum signis maiestatis adduci profecto posset, ut eum Messiam, ac verum Deum esse crederet. Respondetur hoc argumento concludi demonem non satis intellexisse Scripturas omnes: neque omnia illarum mysteria inter se contulisse, ut Christum agnosceret. Quia quamvis demon magna vi naturali ad intelligendum polleat: tamen Scripturae altiori, quo sunt condite Spiritu, intelligenda sunt, praesertim propheticae praedictiones, quae antequam omnino compleantur, obscurissimae sunt. Accedit quod demon prauo superbiae, & inuidiae affectu impediri multum poterat, nec sincerum Scripturae sensum perciperet, sed de hac re iterum postea redibit sermo.

Obiectio.

Respons.

Ambrosius.
Tentare
quid sit.

D. Thom.

August.

Tentari quo
modo non sit
malum.

Conc. Trid.

A non potuisse huiusmodi tentationis genus, quia non potest esse sine peccato, intelligi potest non simpliciter, sed sub ea conditione, si ab homine praueiri potest, & euitari, & quia a Christo semper vitari poterat, ideo non potuit admitti sine aliqua culpa. Vel secundo potest exponi, ut non sit sensus non posse esse sine peccato, id est, quin ipsa sit peccatum, sed non posse esse sine aliquo peccato, quod sit veluti origo, & radix eius. Quia haec tentatio, seu concupiscentia ad fomitem pertinet, qui tantum ex originali peccato originem ducit, & ideo interdum quasi per denominationem extrinsecam peccatum appellatur, ut Conc. Trident. supra dixit. Addo etiam huiusmodi motus per se esse indecetes, & ideo, quatenus vi sua, ac formaliter culpe non sint, si nulla voluntas intercedat, habent tamen quodammodo materialem turpitudinem culpae, & idcirco nullo modo decebat esse in Christo: & sic intelligendus etiam est B. Cyprianus, qui serm. de tentat. Christi haec scribit: *Honestus cum spiritu, quam cum carne luctamur, quia carnis sedus complexus exhalans nebulas, eum qui sibi adhaerens aliqua ex parte contaminat, nec libidinum morsus qui quam euasit ille Iesus.*

Concupiscentia
carnis
quomodo non
est sine pec-
cato.

Conc. Trid.

Cyprian.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus in deserto tentari debuerit.

227.
art. praeced.

AD quatum sic proceditur. Videtur, quod Christus non debuerit tentari in deserto. Christus enim tentari voluit propter exemplum nostrum, ut dictum est. Sed exemplum debet manifeste proponi illis, qui sunt per exemplum informandi. Non ergo debuit in deserto tentari.

2. Praeterea, Chrysostomus dicit super Mattheum, quod tunc maxime instat diabolus ad tentandum, cum videris solitarios: unde & in principio mulierem tentauit, sine viro eam inueniens. Et sic videtur per hoc, quod in desertum iuit, ut tentaretur. quod tentari voluit se exposuit. Cum ergo eius tentatio sit nostrum exemplum, videtur quod etiam alij debeant se ingerere ad tentationes suscipiendas: quod tamen videtur esse periculosum, cum magis tentationum occasiones vitare debeamus.

3. Praeterea, Mat. 4. ponitur secunda Christi tentatio, quia diabolus Christum assumpsit in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi. Quod quidem non erat in deserto. Non ergo tentatus est solum in deserto.

Hom. 13. in
Mat paulo
post prime.
10.5.

Sed contra est, quod dicitur Mat. 1. quod erat Iesus in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur a Satana.

Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est) Christus propria voluntate se diabolo exhibuit ad tentandum, sicut etiam propria voluntate membris eius se exhibuit ad occidendum, alioquin diabolus venire ad eum non auderet. Diabolus autem magis attinet ad aliquem, cum est solitarius, quia ut dicitur Ecclesi. 4. si quisquam praeualuerit contra unum, duo resistent ei. Et inde est, quod Christus in desertum exiit, quasi ad certum certamus, ut ibi a diabolo tentaretur. Unde Ambrosius dicit super Lucam, quod Christus agebatur in desertum consilio, ut diabolum prouocaret: nam nisi ille certasset, scilicet diabolus, non iste mihi vicisset, id est, Christus. Addit autem & alias rationes, dicens hoc Christum fecisse mysterio, ut Adam de exilio liberaret, qui scilicet de Paradiso in desertum eiectus est: & exemplo, ut ostenderet nobis diabolum ad meliora tendentibus inuadere.

art. praeced.

li. 4. in Luca
in tit. de du-
ctilem in de-
sertum non
longe a fine,
10.5.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus proponitur omnibus in exemplum per fidem, secundum illud Heb. 12. Aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem Iesum. Fides autem (ut dicitur Rom. 10.) est ex auditu: non autem ex visu. Quinimo Ioan. 20. dicitur: Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Et ideo ad hoc, quod tentatio Christi esset nobis

in exem-

in exemplum non oportuit, quod ab hominibus videretur, sed A sufficiens fuit quod hominibus narraretur.

Ad secundum dicendum, quod duplex est tentationis occasio. Vna quidem ex parte hominis, puta cum aliquis se peccato propinquum facit, occasiones peccandi non evitans. Et talis occasio tentationis est vitanda, sicut dictum est *1. Cor. 10. 16.* Ne steteris in omni regione circa Sodomam. Alia vero tentationis occasio est ex parte diaboli, qui semper invidet ad meliora tendentibus: vt *Ambr. dicit.* Et talis tentationis occasio non est vitanda. Vnde dicit *Chrysost.* supra *Matthæum*, quod non solum Christus ductus est in desertum à Spiritu, sed omnes filij Dei habentes Spiritum sanctum. Non enim sunt contenti sedere otiosi, sed spiritus urget aliquod magnum apprehendere opus. Quod esse in deserto, quantum ad diabolum: quia non est ibi iniustitia, in qua diabolus delectatur. Omne etiam bonum opus est desertum quantum ad carnem, & mundum: quia non est secundum voluntatem carnis, & mundi. Talem autem occasionem tentationis dare diabolo, non est periculosum: quia magis est auxilium spiritus sancti, qui est per se facti operis actor, quam impugnatio diaboli invidentis.

Ad tertium dicendum, quod quidam dicunt omnes tentationes factas fuisse in deserto. Quorum quidam dicunt quod Christus ductus est in sanctam civitatem, non realiter, sed secundum imaginariam visionem. Quidam autem dicunt, quod etiam ipsa civitas sancta, id est, Hierusalem, desertum dicitur quia erat derelicta à Deo. Sed hoc non est necessarium: quia Marcus dicit, quod in deserto tentabatur à diabolo, non autem dicit, quod solum in deserto.

In hoc articulo & duobus sequentibus explicat D. Th. circumstantias, ordinemque, ac modum tentationis Christi, obiter attingit aliqua de ieiunio eius. Quæ omnia in sequenti disputatione commodius explicabuntur, contextus enim D. Th. satis perspicuus est, nec alia indiget expositione.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christi tentatio debuerit esse post ieiunium.

228.
q. 1. art. 2.



Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod Christi tentatio non debuerit esse post ieiunium. Dicitur enim supra, quod Christum non decebat conuersationis austeritas. Sed maxima austeritas fuisse videtur, quod quadraginta diebus, & quadraginta noctibus nihil comederit: sic enim intelligitur quadraginta diebus & noctibus ieiunasse, qui scilicet in illis diebus nullum omnino cibum sumpsit, vt *Greg. dicit.* Ergo non videtur, quod debuerit huiusmodi ieiunium tentationi premittere.

Hom. 16 in Enang circa medium.

2. Preterea, Marcus 1. dicitur, quod erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana. Sed quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunauit, ergo videtur, quod non post ieiunium, sed simul dum ieiunaret, sit tentatus à diabolo.

3. Preterea, Christus non legitur nisi semel ieiunasse. Sed non solum semel fuit tentatus à diabolo: dicitur enim *Luc. 4.* quod consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo vsque ad tempus. Sicut ergo secunda tentationi non permisit ieiunium, ita nec prima permittere debuit.

Sed contra est, quod dicitur *Matt. 4.* Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijs, & tunc accessit ad eum Tentator.

art. 1 huius quæst.

Respondendo dicendum, quod conuenienter Christus post ieiunium tentari voluit: Primo quidem propter exemplum: quia cum omnibus (sicut dictum est) imminet se contra tentationes tueri, per hoc, quod ipse ante tentationem fuerat ieiunauit, docuit quod per ieiunium nos oportet contra tentationes armari: vnde inter arma iustitie Apostolus ieiunia connumerat. 2. ad *Cor. 6.* Secundo, vt ostenderet, quod etiam ieiunium

ante diabolus aggreditur ad tentandum, sicut alios qui bonis operibus vacant, & ideo sicut post baptismum, ita post ieiunium Christus tentatur. Vnde *Chrysost.* dicit super *Matt. vi.* discas, quia magnum bonum est ieiunium, & qualiter scutum est aduersus diabolum, & quoniam post baptismum non lasciuia, sed ieiunio intendere oportet: & ideo Christus ieiunauit, non ieiunio indigens, sed nos instruens. Tertio, quia post ieiunium sequitur esurijs, quæ dedit diabolo audaciam eum aggrediendi: sicut dictum est. Cum autem esuriret Dominus (vt *Hilar. dicit* super *Matt.*) non fuit ex surreptione inedia, sed natura sua hominem dereliquit: non enim erat à Deo diabolus, sed à carne vincendus. Vnde etiam vt *Chrysost.* dicit, non vltra processit in ieiunando, quæ *Moses* & *Helias*, ne incredibilis videretur carnis assumptio.

Ad primum ergo dicendum, quod Christum non deuit conuersatio austerioris vite vt se communem exhiberet illis, quibus predicauit. Nullus autem debet assumere predicationis officium, nisi prius fuerit purgatus, & in virtute perfectus, sicut & de Christo dicitur *Act. 1.* quod cepit Iesus facere, & docere. Et ideo Christus statim post baptismum austeritatem vite assumpsit, vt doceret post carnem edomitam, oportere alios ad predicationis officium transire: secundum illud Apostoli, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, nec forte cum alijs predicauero, ipse reprobus efficiar.

Ad secundum dicendum, quod verbum illud Marci, potest sic intelligi, quod erat in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, quibus scilicet ieiunauit. Quod autem dicitur, Et tentabatur à Satana, intelligendum est, non in illis quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, quibus ieiunauit, sed post illos, eo quod *Mat. dicit.* Quod cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijs: ex quo sumpsit tentator occasionem accedendi ad ipsum, vnde & quod subditur. Et Angeli ministrabant ei, consueuimus intelligendum esse ostenditur, ex hoc, quod *Mat. 4.* dicitur. Tunc reliquit eum diabolus, scilicet post tentationem, & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei. Quod vero interponit *Mat.* Eratque cum beatus, inducitur, secundum *Chrysost.* ad ostendendum quale erat desertum, quia scilicet erat inuium hominibus, & bestiarum plenum. Tamen secundum expositionem *Beda*, Dominus tentabatur quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Sed hoc intelligendum est non de illis tentationibus visibilibus, quas narrat *Mat. & Lucas*, quæ manifeste factæ sunt post ieiunium, sed de quibusdam alijs impugnacionibus quas forte illo ieiunij tempore Christus est à diabolo passus.

Ad tertium dicendum, quod sicut *Ambr.* dicit super *Luc.* recessit diabolus à Christo vsque ad tempus, quia postea non tentaturus, sed aperte pugnaturus aduenit: tempore scilicet passionis. Et tamen per illam impugnacionem videbatur Christum tentare de tristitia & odio proximorum, sicut in deserto de delectatione gula, & contemptu Dei per idolatriam.

ARTICVLVS V.

Vtrum fuerit conueniens ordo, & modus tentationis Christi.



Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod Christi tentatio non fuerit conueniens tentationis modus & ordo. Tentatio enim diaboli ad peccandum inducit. Sed si Christus subuenisset corporali fami, conuertendo lapides in panem, non peccasset: sicut non peccauit, cum panes multiplicauit (quod non fuit minus miraculum) vt turba esuriens subueniret. Ergo videtur, quod nulla fuerit illa tentatio.

2. Preterea, Nullus persuasor conuenienter suadet contrarium eius, quod intendit. Sed diabolus statuens Christum supra pinnaculum templi, intendebat eum de superbia seu vana gloria tentare. Ergo inconuenienter persuadet ei, vt se mittat deorsum: quod est contrarium superbie, vel vana gloria, quæ semper querit ascendere.

3. Preterea.

3. Præterea Vna tentatio conueniens est, vt sit de vno peccato. Sed in tentatione, qua fuit in monte, duo peccata persuasit, scilicet cupiditatem, & idololatriam. Non ergo conueniens videtur fuisse tentationis modus.

4. Præterea. Tentationes ad peccata ordinantur. Sed septem sunt vitia capitalia: *vi in secunda parte habitum est.* Non autem tentavit nisi de tribus. scilicet gula, vana gloria, & cupiditate, non ergo videtur sufficiens tentationis modus fuisse.

5. Præterea. Post victoriam omnium victorum, remanet homini tentatio superbia, vel vana glorie: quia superbia etiam bonis operib. infidatur, ut pereant, sicut di. i. August. Inconuenienter ergo Mat. vltima ponit tentationem cupiditatis in monte, mediam autē in vana gloria in templo, præsertim cum Lucas ordinet e conuerso.

Super illud
Matt. 4. non
in solo pane
vivunt homo.
cap. 9.

6. Præterea. Hieronym. dicit super Mat. quod propositum
Christi fuit diabolum humilitate vincere. non potestate. Er-
go non imperiose. Cobiurgando. eum repellere debuit. dicens.
Vade retro Satana.

7. Præterea, Narratio Evangelij videtur falsum continere. Non enim videtur possibile, quod Christus supra pinnaculū templi statui poterit, quin ab alijs videretur: neq; aliquis mons tam altus invenitur, ut in eo totus mundus inspicere possit, ut sic ex eo puerint Christo omnia regna mundi ostendi. Inconuenienter ergo videtur descripta Christi transitio.

Sed contra est, scriptura sacra auctoritas.

Hom. 16 in
Euang. paulo
post pri.

*lib.erm. 1. a
quadrag.
paulo ante
medium.*

Ad primam ergo dicendum, quod vti necessarij ad su-
sultationem, non est peccatum gula, sed quod ex deside-
rio huius sustentationis homo aliquid inordinatum faciat,
ad vitium gula pertinere potest. Est autem inordinatum,
quod aliquis, vbi potest recursus haberi ad humana subli-
dia, pro solo corpore sustentando, miraculose sibi cibum qua-
rere velit. Vnde & Dominus filius Israel miraculose manna

Ad secundam dicendam, quod per humiliationem exte-
riorem, frequenter querit aliquis gloriam, quæ exaltetur cir-
ca spiritus alia bona. Vnde August. dicit in libro de sermone Do-
mini in monte. Animaduerendum est, non in solo terrenum
corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus li-
tuosis esse posse ieiunium. Et ad hoc significandum diabolus
Christo suasi, ut ad querendum gloriam spiritualem, cor-
poraliter mitteret se de ierusalem.

Ad tertium dicendum, quod diuitias, & honores mundi appetere peccatum est, quando huiusmodi inordinate appetuntur. Hoc autem precipue manifestatur ex hoc, quod pro huiusmodi adipiscendo homo aliquid inebonellum facit. Et ideo non fuit contentus diabolus persuadere cupiditatem diuitiarum, & honorum: sed induxit ad hoc, quod propter huiusmodi adipiscenda Christus eum a deo ex, quod est maximum scelus, & contra Deum. Nec solum dixit, Si adoraueris me: sed addidit, Si cadens: quia, vidit Ambrosius, habet ambitio domesticum periculum: ut enim dominetur aliquis, feruit, & curuatur obsequio, ut in honore donetur: & tunc vult esse sublimior, sic r misfor. Et similiter etiam in precedentibus temptationibus, ex appetitu vnius peccati in aliud peccatum inducere est conatus, sicut ex desiderio cibi, conatus est inducere in vanitatem, sine causa miracula facienti & ex cupiditate gloria, conatus est inducere ad tentandum Deum, per precipitium.

Ad quartum dicendum, quod (sicut dicit Ambrosius super Lucam) non dixit Scriptura, quod consummata est omnis tentation, diabolus recepit ab illo, quod in tribus praemissis esset omnium materia delictorum: quia causa tentationum, et causa sunt cupiditatum, scilicet carnis oblectatio, spei gloria, et cupiditas potentiae.

Ad quintum dicendum: quod sicut August. dicit in lib. l. 3. c. 16. circa
consensu Euangel. incertum est quid prius factum sit, virum ^{meu} ^{10. 4.}
regna terra prius demonstrata sint ei, & postea in pinna-
culum templi locutus sit, an hoc prius, illud postea: nihil ra-
men ad rem, dum omnia facta esse manifestum sit. Viden-
tur autem Euangelistæ diuersum ordinem tenuisse quia quan-
doque inani gloria venit ad cupiditatem, quandoque est di-
uer[sus].

Ad sextum dicendum, quod Christus cum passus fuisset
tentationis iniuriam, icente sibi diabolus, Si filius Dei es, mitte
te deorum, non est inurbatus, nec diabolum increpauit. Quia lo
pero diabolus Dei sibi in urpauit honorem, dicens, Nec omnia
tibi dabo, si caderis adoraueris me, exasperatus est, & r pulit
eum dicens, Vade Satana. Vt nos illius discamus exemplo no
stras quidem iniurias æquanimiter sustinere, Dei aut in iu
riuras nec vq, ad auditum iusserit.

Ad septimum dicendum, quod sicut Chrysostom. dicit for-
fitan diabolus, quantum ad se, sic Christus assumebat in
pinnaculum templi, ut ab omnibus videretur, ipse autem ne-
sciente diabolo sic agebat, ut a nemine videretur. Quod au-
tem dicitur, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eo-
rum, non est intelligendum, quod videret ipsa regna, vel ciui-
tates eorum, vel populos, vel autem vel argentum. Sed partes
terre, in quibus vnumquodque regnum vel ciuitas posita est,
diabolus CHRISTO digito demonstrabat: & vniuscuiusque
regni honores, & statum verbis exponebat. Vel secundum O-
rigenem, ostendit ei quomodo ipse per diuersa vitia regnabat in
mundo.

DISP V-

Derecessu Christi in desertum, & ijs, quæ ibi acciderunt.

Narrant Euangelistæ Matthæus & Luc. 4. Marc. vero c. 1. Christum statim post baptismum, ductum esse in desertum, & ieiunasse quadraginta dies, & noctes, posteaque esurisse, ac tentatum esse. Quæ omnia eo quo sunt ordine proposita, explananda à nobis sunt.

SECTION I.

Quid causa fuerit cur Christus in desertum secesserit.

Dux causæ huius mysterij explicandæ nobis sunt, efficiens & finalis. De efficiente dicit Matthæus. *Ductus est Iesus in desertum ab spiritu.* Marcus, *Expulit eum spiritus.* Lucas vero, *Agebatur in spiritu.* Quo loco omnes Patres intelligunt Spiritum sanctum significari, Hieron. in Matth. Ambr. lib. 4. in Lucam. Chrysostom. hom. 13. in Matth. & 5. imperfecti. Origenes. 29. in Lucam. *Quia quotquot Spiritu Dei ducuntur filij sunt Dei: hic autem extra omnes, proprie filius Dei erat, ideo & ipsum oportebat spiritu sancto duci.* Idem Cyprian. ferm. de tentat. Athanas. in epist. ad Serapionem, spiritum sanctum non esse creaturam. Greg. hom. 16. in Evangelia, Chrysolog. ferm. 11. Et primo hoc colligit Athanas. ex absoluta, *Spiritus, appellatione, antequam proxime præcellerat, Spiritum Sanctum tanquam columbam descendisse in Christum.* Vnde aperte constat eundem spiritum indicare, cum subiungitur, *Ductus est à spiritu.* Quod clarius est apud Lucam dicentem. *Iesus autem plenus spiritu sancto regressus est à Iordane, & agebatur in spiritu.* Nam cum sermo est (inquit Athanas.) de illis, apud quos est spiritus sanctus, & aliquid dicitur de spiritu in illis operante, sine addito Deo, aut alterius nota, ambiguum esse non potest, quin Spiritus Sanctus intelligendus sit, maxime si addit, *Idem, quem hoc loco reperies in omnibus Evangelistis.* Præterea hoc satis probari potest ex verbis Matth. *Ductus est à spiritu, ut tentaretur à diabolo.* Nam si spiritus malus eum duxisset, ducturus potius erat Evangelista. *Duxit eum spiritus ut tentaret eum.* Illa ergo distinctio & contrapositio spiritus, & diaboli, satis declarat ductum esse ab Spiritu Sancto.

Ex quo intelligimus primo, non fuisse Christum ductum ab spiritu, motu corporali, externo & quasi violento, sed interno instinctu, & spirituali motione, cui Christus voluntarie consentiens, seipsum agebat, & ita intelligendum est naturali motu, & progressu iuvisse in desertum. Atque hac ratione exponenda sunt illa verba Matth. *Ductus est à spiritu,* id est, *Spiritu sancto duce & comite, ut Cyprianus inquit.* Quod magis explicuit Lucas dicens. *Agebatur in spiritu.* Quod ita intelligendum est, sicut illud Pauli ad Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei,* id est, qui eius interno cientur impulsu, de quo impulsu intelligendum est illud Marci, *Expulit eum in desertum.* Vnde eleganter Cyril. lib. 2. ad Reginas §. de Christi sanctificatione, *Virtute (inquit) spiritus in desertum agi dicitur, non quod vi aliqua eo abreptus, adductusque sit: sed quod vitam ad tempus ibi traduxerit, moratusque sit spiritus virtute armatus supra humanæ naturæ conditionem.*

Colligitur secundo, non potuisse Christum non recta intentione, & propter honestissimas causas in desertum duci, quandoquidem & Spiritus Sancti

Artic. I. vsque ad IV.

A motione, proprioque consensu, & voluntate, quæ non poterat non esse sancta, & honesta, ductus est. Sed oritur circa hoc difficultas ex verbis Euangelistæ dicentis, *Ductus est ut tentaretur à diabolo.* Vbi hanc vnicam ponit causam, quæ non videtur rationi consentanea. Quia licet tentari non sit malum, querere tamen temptationum occasiones, & hominem aliquid eo sine operari, ut tentetur, non videtur honestum, qui enim hoc intendit, virtute vult aliquid mali fieri, nam tentatio, ut à dæmone profiscitur, mala est. Sicut si homo quippiam faceret, ut alteri daret occasionem peccandi, ipse sine dubio peccaret, ergo idem est de eo, qui operatur, ut dæmoni occasionem præbeat male operandi. Quia licet illa praua actio dæmoni non imputetur ad noxam poenam ratione status: tamen reuera ipsa vi sua est praua, quare non potest honesta voluntate intendi. Nec refert, quod dæmon sit paratissimus ad tentandum, quia quamuis propter honestum finem liceat uti malicia eius qui paratus est: directe tamen intendere, ut is malum illud exequatur, quod facere paratus est, & hac intentione aliquid efficere, id est, ad exercitandum, seu prouocandum illum, non licet, quia hoc est malum ipsum intendere, ac velle. Et augetur difficultas, quia *omnis Christi actio nostra est instructio:* licebit ergo nobis occasiones querere, ut à dæmone tenemur, quod plane videtur absurdum. Hoc enim esset tentare Deum, & occasionibus ac periculis peccandi sese exponere.

Ex hac difficultate oritur alia, quia non videtur decuisse, ut Christus in desertum recederet, & quasi eremiticam vitam institueret. Tum quia nec propter se indiguit, nec propter nos: quia non oportuit, ut illius viuendi modi nobis exemplum præberet, qui hominibus non expedit, cum sit charitatis, beneficentiæ, & humanæ communicationi contrarius, innumerisque periculis expositus. Tum maxime, quia non decebat solitariam, ac seuerissimam vitam aggredi, quadraginta tantum dies duraturam, ne videretur manum ad aratrum misisse, & postea retro respexisse, atque inde fumerent homines occasionem ab instituta vitæ seueritate recedendi, quod ipsemet Christus damnavit, Luc. 9. Dicendum vero est primo Christum Dominum ob multas, easque iustissimas causas, statim post baptismum in eremum secessisse. Nam licet Euangelistæ vnam tantum commemorent: non tamen excludunt alias, quæ à sanctis Patribus excogitatæ sunt. Et in primis, si proximam, & quasi interinsecam causam contemplerur, sine dubio Christus reliquit hominum consortia, & recessit in locum omnino solitariam, & incultum, ubi tantum bestiarum versabantur (ut Marcus notauit,) ut illis diebus celestē, & quasi Angelicam vitam ageret, non quidem humanam & corpoream, ait supra Cyril. *sed supra humanæ naturæ conditionem, ut ab omni corporis cura, & actionibus liber, soli diuinæ contemplationi vacaret.* Hoc enim vitæ genus intelligere debemus Christum egisse illis diebus, nec enim otiosus esse poterat, cuius animus Deo erat coniunctissimus, nec somno indigebat, qui cibo, & potu non vtebatur. Cumque ille recessus in desertum quasi de se, & natura sua ad hunc finem tendat, non videtur dubitandum, quin propter hunc finem à Christo & Sancto Spiritu institutus sit, & in hunc modum possunt exponi illa verba Lucæ *agebatur in spiritu diebus quadraginta,* ut significet omnibus illis diebus actum esse à spiritu, id est vitam omnino spiritualem, ac pene diuinam omnibus illis diebus egisse: & ad hoc illuc esse ductum, ut huiusmodi vitam ageret. Verumtamen hæc expositio violenta esse videtur, tum quia Græce non dicitur *in deserto*, sed *in desertum*, quod significat terminum localis motus, qui non duravit quadraginta diebus: tum etiam quia vt ex testibus Græcis emendationibus constat, illud *quadraginta diebus,* non

Math. 4.
Marc. 1.
Luc. 4.

Christus
in desertum
ab spiritu
sancto ducitur.
Hieronym.

Ambros.

Origen.

Cyprian.

Anastaf.
Greg. Pap.

Chrysolog.

Sine violentia ab Spiritu
Christus
in desertum
adducitur.

Math. 4.
Cyprian.
Luc. 4.

Roman. 8.

Marc. 1.
Cyril.

Dubium.

Cyprian.

Obiectio.

Responsum
ad
dubium
quod
Christus
indiguit.

Luc.

Cass.

In desertum
Christus
cur secessit.

Marc. 1.

Cyril.

non coniungitur cum verbo agebatur quod præ-
cellerat, sed cum sequentibus, vel si cum illo con-
struatur, aliquid subintelligendum est, scilicet age-
batur in desertum ut ibi esset quadraginta diebus.
Docuit tamen hanc sententiam Cypria, dicto serm.
de tentat. Eligitur (inquit) solitudo, ut soli Deo vacans,
anima, cum in se per continentiam mactauerit voluptatis
purgatis affectibus ad celestia euolet: loquitur de Chri-
sto ac si indigeret purgatione, & carnis maceratio-
ne, quia propter exemplum nostrum ita operatus
est, ac si hæc illi essent necessaria. Et hinc solui po-
test obiectio, si quis dicat ut Christus huiusmodi du-
ceret vitam, non indigebat solitudine, nec cessatio-
ne à ceteris humanis actionibus. Quia nihil illi im-
pedimento esse poterat, quominus semper & Deo
frueretur per visionem beatam, & per inferiorem
aliquam scientiam in perpetua contemplatione per-
seueraret.

Respons. Respondetur quamvis per scientiam per se in-
fusam potuerit Christus sine dependentia à sen-
sibus contemplari diuina, tamen per cognitionem
omnino naturalem non poterat sine speciali miracu-
lo multa simul perfecte considerare, neque etiam
per operationem phantasia simul comitari opera-
tionem intellectus, si circa res varias, omninoque di-
uerfas versaretur. Ut igitur Christus Dominus se-
cundum omnes animi vires tam naturales, quam
supernaturales, tam intellectus & voluntatis quam
phantasia, & appetitus, totum sese in res diuinas im-
mergeret, longe perfectiori modo, quam ex natura
rei posset, dum alia sensibilia tractaret, & cum ho-
minibus conuersaretur, potuit illis diebus in deser-
tum recedere. Quo etiam modo intelligi possunt
Euangelistæ, cum aliis in locis dicunt, solitum esse
Christum in desertum secedere, ut oraret, ut Luc. 5.
Ipse secedebat in desertum, & orabat, præterea quamvis
recessus in eremum non esset Christo necessarius
propter hunc finem: tamen oportuit, ut suo ex-
emplo nobis ostenderet solitariam vitam esse ad
contemplationem aptissimam, & ad eam, ut ad fi-
nem potissimum ordinari, ut late differit Cassian.
collat. 19. Et hinc oritur secunda causa, & quasi finis
extrinsecus huius recessus Christi in eremum, scilicet,
ut hominibus daret exemplum. Primo qui-
dem iis qui solitariam vitam amant, iam suo ex-
emplo approbando, & suadendo: ut eleganter nota-
uit Basilii opusculi de laudibus eremi, ubi post multa,
quæ de illo argumento dixerat, concludit. Et quid
amplius memorem? quandoquidem ipse saluator omnium in
exordio suæ manifestationis inuifere, ac propria te dignatus
est habitatione consistere. Postquam enim baptisatis aquam,
qua lotus est, lauit (ut Euangelista testatur) statim spiritus
expulit eum in desertum. Similia fere habet in epistola
ad Chelidonium. Deinde hoc etiam facto dedit
Christus exemplum hominibus communem vi-
tam degentibus, nimirum eos debere interdum
ab hominum consortio recedere, & soli Deo vaca-
re; ut sine offensione, & periculo possint ad actionem
descendere, & cum hominibus agere. Quod (ut D.
Thomas notauit) ad eos spectat maxime, qui profi-
tentur munus docendi, & instruendi alios: quos
prius oportet contemplationi se dare, ut postea se-
curius, maiori que cum fructu possint in proximo-
rum salutem incumbere. Nam quia Christus hoc
erat genus vitæ profecturus, ideoque à diuina con-
templatione exorsus est. Vnde obiter expeditur vlti-
ma difficultas supra tacta. Non enim erat Christo
domino, & muneris eius conueniens, ut illa solitudo
per totam vitam duraret, sed solum ut esset dispositio,
& præparatio ad suum munus exercendum: &
hac intentione inita est, ideoque non fuit præter a-
nimi constantiam, & robur, quod quadraginta tan-
tum diebus in ea permanserit.

Vltimo dicendum est, Christum etiam ductum

esse in desertum, ut cum dæmone pugnaret, eum-
que superaret. Hanc causam reddit Euangelista, eo
quod aptior erat ad explicandam tentationem, quam
statim erat narraturus. Potest autem (ut ad primam
difficultatem respondeamus) hoc explicari, primo
ut illa particula, ut, dicat consequentem, non ve-
rò propriam causam, & rationem, quod est in Eu-
angelis frequentissimum. Itaque primario ac
per se recessit in eremum Christus propter honesta-
tem, & exercitium virtutis, quod in eo obiecto re-
peritur, præsciens autem fore, ut ibi tentaretur à Sa-
tana, voluit id permittere propter causas articulo 1.
commemoratas. Et hunc sensum indicauit Petrus

Pet. Chrys. Chrysolog. sermone 11. dicens. Iesus ductus est in deser-
tum à spiritu non à diabolo, ut esset diuinus cursus, non hu-
manus incurtus, ut esset spiritus præscientia, incitatus non
esset humana. Secundo potest illa particula, ut, causa-
liter explicari, ita tamen, ut non tentatio, sed per-
missio tentationis, & fructus eius intelligantur in-
tenta. Quod quidem ad Spiritum sanctum propriis-
sime referri potest, atque ita facilis est. Nam Deus
sapientissime, ac rectissime facit permittendo ten-
tationes peccatorum, & aliquid operando, ut fa-
cilis tentationi locus sit, si dæmon illam exercere
voluerit. Nam per hoc ipse neque inducit dæmonem,
nec positue prouocat, sed solum permittit propter
maius bonum. Tamen quia hæc permissio Dei cum
præscientia illius coniuncta, tam certa, & infallibilis
est, ac si esset efficax voluntas, ideo interdum in scri-
ptura sacra dicitur Deus facere, quæ permittit, vel
operari, ac si illud intenderet, cum solam intendat
permissionem, & hoc etiam modo loquuntur san-
cti Patres in præsentia tentatione, ut videre licet in
Ambrosio libro quarto in Lucam. Chrysostomus
homilia decimatercia in Matthæum, & aliis supra
citatis. Sic ergo Spiritus sanctus hac intentione du-
xit Christum in desertum, ut eum à Dæmone ten-
tari permitteret propter effectum, & fructum tenta-
tionis, quem præsciebat. Quod non solum cum
Christo, sed etiam cum aliis hominibus præstat Deus,
interdum cum iustis propter maius illorum bo-
num, interdum cum peccatoribus in penam, &
supplicium. Potest etiam hæc intentio humane
Christi voluntati tribui, ita ut non solum Spiritus
sanctus eum hac intentione duxerit, sed etiam ipse
hac intentione inceserit. Et hoc etiam Christo do-
mino licuit: tum quia illi constabat hanc esse diuini
spiritus voluntatem, & intentionem: tum maxime
quia præsciebat nullum sibi ex ea tentatione pericu-
lum imminere, sed potius in magnam Dei gloriam, ho-
minum vtilitatem, ac dæmonis confusionem re-
dundaturam. Quam obrem non sequitur, posse alios
homines temere velle à dæmonibus tentari, aut sese
eorum tentationibus obicere. Quia illis, nec de suo
periculo, nec de Spiritus sancti voluntate, & speciali
auxilio ita constat: quanquam (ut recte hic D. Tho-
mas dixit articulo 2. ad 2.) omnibus liceat virtutis
perfectionem profiteri, tamen si intelligat, vehemen-
tius esse se à dæmonibus agitando. Quia hoc non est
Deum tentare, sed de illius potius auxilio, & virtute
sperare, quæ efficacior est, quam omnis Dæmonum
tentatio. Et eadem ratione licet solitariam vitam
aggredi, si quis à Spiritu sancto exciteretur, licet illie
vehementius soleat dæmon homines vexare, ut
idem notauit diuus Thomas ex Chrysostom. homi-
13. in Matthæum. Cauendum tamen est, ne temere
id fiat, quia secluso extraordinario Spiritus sancti
instinctu secundum ordinariam legem, vita pro-
fus solitaria non est incipientibus accommodata,
sed iis, qui diu se in virtute exerceverunt, & perfectio-
nis apicem attigerunt, ut docuerunt antiqui Pa-
tres, Benedictus in sua regula c. 1. Hieronym. epistola
1. ad Rusticum, August. lib. de morib. Ecclesiæ cap. 3.
August. Cassian. Quæ de re eleganter loquitur Abbas Ioannes apud
Cassianum collat. 19. capite tertio. Et his fit satis dif-
figul.

Quomodo
desertum
Christus
cum diabolo
pugnauit
egredietur.

Pet. Chrys.

D. Thom.

Chrysost.

Bened.
Hieronym.
August.
Cassian.

facultatibus supra positis. Quærere vero potest aliquis, quare remotus, ac solitarius sit locus electus ad congregandum cum Dæmone, sed hac de re opportunius erit sermo sect. 2. & 3.

SECTIO II.

Quomodo potuerit Christus quadraginta diebus sine sensu famis ieiunare.

Cyprian.
Chr. ieiunare
seu ieiunare

Basil.

Tertul.

Chrysost.

Cyr. Alex.

Ignatius.
August.

Dubium.
Ieiunium
Christi in
deserto qua
le
Basil.

Primo Christum quadraginta diebus ieiunasse manifeste testantur Euangelistæ: causæ verò cur ieiunare voluerit, facile ex dictis in præcedenti sectione colligi possunt. Scilicet ut exemplo nobis esset. Ne purus homo (inquit Cyprian.) se iam euasisset periculum, & maceratione carnis non indigere, cum in eremum venisset, & rursus: Elegit desertum, ac ieiunium, ut solitudine fugiens mundum, & ieiunio macerans carnem, cum solo Dæmone dimiceretur. Sic Basil. hom. 1. de ieiunio. Dominus noster non prius in carne, quam pro nobis assumpserat, diaboli insidias excepit, quam eam ieiunio communisset. Deinde, ut ieiunii necessitatem, ac præstantiam commendaret: Vnde Tertull. lib. aduersus Psychicos. c. 8. Ipse Dominus baptisma suum, & in suo omnium, ieiunium d. dicitur, imo nouum hominem in veteris sugillatione, in virtute fastidendi cibi initiabat: ut eum diabolo rursus per escam tentare querenti, fortiolem fame ostendat. Præterit deinde ieiunii legem sine tristitia transgrediens: cur enim triste, quod salutare? Docuit etiam aduersus diuina Dæmonia ieiunijs preliandum. Quid enim mirum, si eadem operatione spiritus iniquus educitur, qua sanctus inducitur? Denique ostendere suo exemplo voluit ad orationem, & contemplationem ieiunium esse instar alarum, quibus anima sursum ferri, & celestia contemplari valet, ut dixit Chrysost. hom. 1. in Genes.

Secundo constat ex Euangelio, Christum ita ieiunasse illis quadraginta diebus, ut nullum omnino cibum, potumve sumpserit. Expresse enim Lucas dicit. Et nihil manducauit in diebus illis. Vbi licet expressa mentio non fiat abstinentiæ à potu: nomine tamen manducationis comprehenditur. Quia manducatio seu refectio integra potum, ac cibum comprehendit. Atque in hunc modum ieiunium hoc Christi semper vniuersa intellexit Ecclesia. Vnde Cyril. lib. 2. ad Reginas. Absque cibo, & potu (inquit) rebus utique humani corporis necessariis ibi degebat. Et Ignat. epist. 8. ad Philippen. Quadraginta dies, & noctes perdurauit sine humano alimento, & August. lib. 3. de mirabilib. scrip. c. 6. Nullo humani pastus suffragio filius.

Statim vero sese offert inquirendum, qua virtute potuerit Christus tot dies, noctesque sine cibo, potuque transigere, solâne diuina & miraculosa, an aliquo modo naturali? Quibusdam enim videtur potuisse hoc fieri modo quodammodo naturali, supposita supernaturali perfectione animæ Christi, per quam ita fuit illis diebus diuinæ contemplationi intentus, & quasi continua raptus ecstasi, ut operationes animæ vegetantis omnino fuerint impeditæ: ad eum modum, quo Paulus in raptu sine cibo, & potu, ac famis sensu permansit. Quia cum eadem anima sit harum operationum principium, dū eius virtus circa superiores actiones veluti absorpta est, impeditur profecto, ne alias inferiores actiones exerceat. Quare tanta potest esse anima in illas operationes intentio, ut hæc omnino impediatur. Vnde experimur ex nimia animi attentione in rerum meditatione, & contemplatione fieri, ut cibis conloqui, ac digerere nequeat, ergo eadem ratione, & proportionem fieri poterit, ut omnino impediatur, impedita autē actione naturalis caloris, necessario, ac sine nouo miraculo fit, ut homo sine cibo, & potu conseruari possit, quandiu illa animi attentio durauerit.

Sed hæc sententia non potest satisfacere. Quia licet demus inter actiones vitales, in quibus anima propria virtute, & suo intrinseco, ac speciali modo operatur, esse connexionem supra dictam, actiones tamen mere naturales, quæ per solam alterationem qualitatum naturalium sunt, impediri non possunt propter animi attentionem ad alias superiores actiones, quia illæ qualitates in actione sua mere naturali non pendent ab actuali animæ operatione, & influxu. At vero sola actio harum qualitatum sufficiens est, ut homo non possit naturaliter conseruari quadraginta diebus sine cibo, & potu. Quia tanto tempore necessario fieret alteratio à calore naturali & partibus dissimilibus inter se, & à medio, seu corpore circumstante, & ab aliis causis externis, quæ naturale hominis temperamentum ad vitam conseruandam necessarium dissoluerent.

Quapropter dicendum est, Christum Dominum supernaturali virtute, & miraculorum effectrice virtute esse, qua huiusmodi actionem, & alterationem impediuit. In quo Moysen, & Eliam superauit, qui simili quidem modo quadraginta diebus sine cibo potuque manserunt Exod. 34. & 3. Reg. cap. 19. sed illi extrinseca virtute diuina: Christus vero propria, & intrinseca virtute, qua plenum dominium habebat supra corpus suum, ut ea tantum agere, & pati posset, quæ vellet. Atque hæc est concursus Patrum sententia, præsertim Cyril. & Augustini locis statim citandis.

Et hinc facile expeditur dubitatio alia, quæ propter singularem Caietani sententiā prætermitti hoc loco non potest. Dubitat enim ille Matth. 4. vtrum Christus quadraginta hisce diebus, quibus ieiunauit, esurierit, an vero expletis omnibus diebus. Et respondet omnibus illis diebus famem sentisse, quia superfluum est (inquit) multiplicare miracula line necessitate. imo alias quoque frustra ieiunasset, si nihil sensisset. Nihil enim tale ieiunium, vel ad meritum, vel ad corporis afflictionem, vel ad nostrum exemplum conculisset. Quam sententiam hoc loco referens Medina probabilem existimat. Mihi tamē & improbabilis, & temeraria vt minimum videtur. Primum, quia fere aperte repugnat verbis Euangeliorum. Nam Matth. dicit, Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Dices, non tamen dicit antea non esurisse. Respondeo nisi velimus vim literæ inferre, satis hoc significat illa vox, postea, præsertim cum Lucas addiderit: Et consummatum illis esuriit. Nam si quis narret expleto tali tempore aliquid esse factum, plane significat antea non esse factum, ut patet ex similibus locutionibus eiusdem Lucæ. Postquam consummati sunt dies octo, cap. 2. Et cum compleuerentur dies Pentecostes, Act. 1. Adde hanc esse communem veterum Patrum, & expositorum intelligentiam, ut videre licet in Hilario Origene, Hieron. Chrysost. Ambros. alijs denique Græcis & Latinis super Matth. & Lucam. Vnde Basil. dicta hom. 1. de ieiunio. Et vide (inquit) quam mirabiliter ille tentatori per esuritionem præbuit animum, alioqui propter diuinæ naturæ sublimitatem non patebat ad illum aditum diabolo, nisi se per esuritionem ad humanam imbecillitatem submisisset: & Gregorius Nyssenus libro de Beatitudinibus in 4. Cum quadraginta dies (inquit) ieiunius permansisset, postea esuriit. Dedit enim quando volebat occasionem naturæ officio suo fungendi, sed tentationum inuentor, cum intellexit afflictum famis etiam illum inuasisse, consuluit ut lapidibus excoqueret appetitum, & cætera quæ persequitur. hoc tentationis genus egregie ad mores accommodans, & Cyril. dicto lib. ad Reg. Cum quantum sat erat, iam ieiunasset, diuinæque virtute absque cibo, & potu incorruptam carnem conseruasset, vix tandem, quæ propria illius sunt, pati eam sinit: esurisse enim dicitur. Sed quam ob causam, quæ esurisse? Ob eam nimirum, quo apertè vtrumque Deum simul, & homi-

Responsio.

Quia Christi virtute quadraginta diebus ieiunius in deserto permansit. Exod. 34. 3. Reg. 19. Cyril. August.

Dubium.

Caietani sententia.

Medina.

Responsio.

Matth. 4.

Post quadraginta dies non esurisse.

Christus esuriit.

Luc. 4.

Act. 1.

Hilary.

Orig.

Hieron.

Chrysost.

Ambros.

Basil.

Greg. Nyss.

Cyril.

August.

Et hominem se esse declararet. Præterea Augustinus lib. A

3. de Mirab. scrip. capit. 6. Quare consummatis quadraginta diebus esurire Dominus Iesus describitur, cum Moyses & Elias tanto tempore spacio per ieiunium famem pati non memorentur? Famem vero, & laborem Redemptor nostrum consummato tanto dierum numero sustinet, quatenus & tentatori occasionem tentandi inferret, & nosceretur, quam veram humanæ carnis substantiam gestaret.

Chrysolog.

Tandem Petrus Chrysologus dicto sermone vndecimo. Postea (inquit) esurii: Hoc non est infirmitatis signum, sed insignis virtutis, quia cum dicit, postea esurii, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus probat in illo esuriam non fuisse. Esuriam sentire, & vincere est laboris humani, diuina virtutis est esuriam non habere. Deinde vero subiungit rationes, ob quas postea esurire voluit, à superioribus Patribus tactas. Quas etiam non obscure significauit Ignatius dicta epistola & Cyprianus sermone de ieiunio, & tentat. Domini, & Irenæus libro quinto contra hæres. capite trigésimo primo. Ratione præterea hoc declaratur, resellendo simul coniecturas Caietani. Quia vno, eodemque miraculo fieri potuit, vt Christus sine cibo, & potu quadraginta dies, noctesque transigeret, & vt famem, ac sitim non sentiret: nimirum impediendo ac suspendendo actionem caloris naturalis, aliorumque contrariorum agentium, ergo in hoc nulla multiplicatur miracula, quin potius maius esset miraculum, quod fame premeretur tot diebus, nec tandem consumeretur. Nam vel illa esuries augebatur in dies, vel in eodem statu permanebat: Si primum, ergo naturaliter mortem induceret, & maius esset miraculum in tanta corporis alteratione, ac debilitate viuum, ac vegetum conseruari. Si secundum, illud certe vt minimum esset æquale miraculum: quia in agentibus naturalibus eiusdem rationis est, postquam applicata sunt, & non impedita, inchoare actionem, & in ea ad finem vsque progredi. Et similiter eiusdem miraculi est eorum actionem, vel in principio, vel in progressu suspendere, ergo (si alterutrum hic dicendum est) melius dicitur, actionem esse suspensam in principio: & ideo illis diebus omnino fuisse appetitum cibi, & potus impeditum. Præterea dicunt Patres supra citati non sine mysterio factum esse, vt prius Christus tot diebus famis morsum non sentiret, & postea esuriret, nimirum vt cum prius aliquod dedisset suæ diuinitatis indicium, veram postea humanitatem ostenderet, atque ita demonem dubium, ancipitemque relinqueret. Denique Christus illis diebus non tantum ieiunauit, vt per carnis afflictionem pro nobis satis faceret, nobisque exemplo esset, sed etiam vt doceremur propter spirituales delectationes, corporales contemnere. Item, per diuinam contemplationem, & gaudium, quod ex ea nascitur, quodammodo rerum sensibilium appetitum extinguere, & memoriam cibi, ac potus auferri. Sicut de Ioanne Abbate refert Cassian. collat. 19. cap. 4. quod delicijs spiritualibus occupatus, non recordabatur, an pridem comedisset, necne. Vnde etiam sumi potest confirmatio, quia non sentire famem, sine magno miraculo prouenire interdum potest ex nimia rerum diuinarum attentione, quæ omnes vires tum intellectus: tum etiam imaginationis absorbeat. Ergo vel hac de causa potuit Christus non esurire illis diebus: postea verò de illa attentione remittens, & calori naturali, alijsque agentibus veluti facultatem agendi præbens, famem sensit, eamque sustinuit toto tempore, quo tentationes durarunt. In quo opportunum satis nobis exemplum præbuit patienter, & æquo animo ferendi corporis molestias, quæ ex ieiunijs, & tentationibus oriuntur.

Cassian.

Quo loco & tempore Christus ieiunauit, & ad demonem tentatus est.

De causis ob quas Christus tentari se permisit, factis in commen. articulo 1. dictum est, de circumstantijs vero illius tentationis pauca dicenda supersunt.

Principio igitur de tempore, quo tentatus fuit, sic scribit Matthæ. Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurii, & accedens tentator dixit ei, si filius Dei es, &c. Ex quibus verbis colligunt omnes Patres, & docet expressè hic D. Thomas arti. 3. Christum fuisse tentatum illis tentationibus (quas Euangelistæ narrant) post quadraginta dies ieiunij. Ita supponunt apertè omnes allegati in superiori Sectione, qui dicunt, Dæmonem accepisse causam tentandi Christum, quod eum esurientem vidisset.

Matth.

Quo tempore Christus tentatus sit.

Circa quod dubitare potest aliquis, quia Matthæus non affirmat tentatorem accessisse, postquam vidit Christum esurientem: sed solum vnum post aliud narrat, ex ordine autem literæ non rectè colligitur, eodem ordine res gestas esse, quo recensentur, præsertim cum alij Euangelistæ simpliciter narrent, Christum tentatum fuisse illis diebus; imò Lucas prius narrat fuisse tentatum, postea ieiunasse. Est autem aduertendum, D. Thomam hic articulo 3. in argument. sed contra, in hunc modum citare verba Matth. Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurii, & tunc accessit ad eum tentator. Sed in textu Evangelij non est illa particula, Tunc, nec in Græcis, Latinisve codicibus, cum tamen in ea tota vis testimonij sita esse videatur. Deinde refertur totus ille contextus, tanquam vna periodus, cum tamen duplex sit, quarum prior ibi finitur, postea esurii: posterior verò subsequitur. Et accedens tentator, & ita locum habet difficultas proposita. Ad quam dicendum videtur, non ex solo ordine literæ: sed ex tota narratione hoc sufficienter colligi, præsertim cum in fine illius concludant Matthæus, & Lucas. Et consummata omni tentatione reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Ex quo rectè intelligimus post finitam tentationem Christum soluisse ieiunium, quod quadraginta diebus durauerat, ergo signum est, tentationem fuisse factam finitis illis diebus, vel certè in ultimo eorum. Quid enim horum duorum veriùs sit, non satis certum est. Nam cum Lucas dicat: Consummatis diebus postea esurii, & tentatio post famem intelligatur subsequuta, videtur accidisse die quadagesimo primo ab inchoato ieiunio: & hoc sentit D. Thom. hic artic. 3. Aliunde verò obstat, quod Patres dicunt, non sine mysterio factum esse, vt Christus non minus, quam quadraginta diebus ieiunauerit, ne minor esset, quam Moyses, & Elias videretur: & vt ieiunium in Ecclesia seruandum præsignificaret: Nec etiam quadraginta dies ieiunij excesserit, ne existimaretur non esse verus homo, & propter multa mysteria, quæ de quadragenario numero frequenter ipsi commentantur. At verò si post integros quadraginta dies Christus fuisset tentatus, oportuisset eum vltra quadraginta dies ieiunare, quia non poterant tentationes illæ vna hora, imò neq; fortasse minori tempore, quam vnius diei absolui. Adde, argumentum illud sumptum ex eo verbo, consummatis diebus, non esse efficax, quia hic loquendi modus etiam locum habet, quando vltimus dies inchoatus est, vt supra diximus, exemplo eiusdem Lucæ capite primo. Postquam consummati sunt dies octo.

Dubium.

D. Thom.

Responsio

Nihilominus facile potest prior sententia defendi, dicendo tentationes breui tempore fuisse consummatas, & ideo non posse dici Christum vltra

Quadragesima diebus cur Christus ieiunauerit.

Luc. 1.

quadraginta dies ieiunasse, quamvis non statim in initio, sed post aliquot horas diei quadagesimi primi cibum sumpserit.

Sed quamquam ratio facta satis concludat finem totius tentationis fuisse vel post quadraginta dies, vel in fine illorum: tamen non satis probat initium, seu primam illarum tentationum antea non fuisse. Quod quidem ex eo pendet, verum illæ tentationes quasi continuè factæ fuerint, prout narrantur, an verò interpositis aliquot diebus. Intelligi enim potest Dæmonem cœpisse tentare Christum prima tentatione decimo aut vigesimo die, postea verò nonnullis diebus interiectis addidisse secundam, ac denique in fine tertio, ac vehementius incubuisse. Quæ explicatio Matthæo non repugnat, ut dixi, Marco autem, & Lucæ consentaneo est dicentibus: *Erant in deserto quadraginta diebus, & tentabatur à Satana.*

Sed nihilominus omnes Patres, & expositores intelligunt tentationes expressas ab Euangelistis continenter esse factas: quia Matthæus & Lucas narratione sua hoc magis indicant. Item quia & ex modo primæ tentationis, & ex verbis Euangelistarum non obscurè colligitur, illam tentationem factam esse, postquam Christus esurire cœpit. Hinc enim occasione sumpta instigabat illum Dæmon, ut lapides in panem converteret, ergo omnes illæ tentationes factæ sunt post quadraginta dies. Deinde finitis tentationibus addit Lucas. *Et consummata omni tentatione diabolus recessit ab illo usque ad tempus,* ergo significat, postquam illum tentare cœpit non destitisse vniquam, donec omnes tentationes consummaret. Sine dubio ergo asserendum est sine dierum interpolatione factas fuisse, atque adeo post quadraginta dies ieiunij, & inchoatas, & perfectas fuisse.

Dubium. Sed ad huc explicanda supersunt verba illa Lucæ, & Marc. *Tentabatur à Satana.* Propter quæ graues aliqui authores dixerunt, quamvis illæ tentationes, quas in specie Euangelistæ exprimunt, factæ sint post ieiunium, alijs tamen modis, qui in Euangelio non explicantur, Christum tentatum à Dæmone fuisse illis quadraginta diebus. Ita sentit Beda libro primo in Marcum capite quinto dicens. *Tentatur quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ut indicet, quod quandiu hic viuentes Domino seruimus, adesse aduersarius, qui iter nostrum tentando impedire non cessat.* Clarius Origenes homilia vigesima nona in Lucam. *Quadraginta (inquit) diebus tentatur Iesus, & quæ fuerint tentamenta, nescimus, quæ ideo forsitan prætermisit, quia maiora erant, quam ut literis crederentur. Et si sic oportet dicere, sicut mundus capere non poterat omnes libros, si scripti fuissent, quæ fecit, & docuit Iesus: sic quadraginta dierum tentationes, quibus tentatus est Dominus à diabolo, mundus ferre non poterat, si scriptura docuisset.* Idem sentit Eusebius libro 9. de Demonstrat. cap. septimo ubi dicit diebus, & noctibus tentatum esse, & ad hunc sensum accommodat verba illa. Psalmi 90. *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incur-su, & Dæmonio meridiano.* Et ibidem ait magnam Dæmonum cateruam omnibus illis diebus Christum circumdasse ad eum inuadendum. Euthym. verò Matth. 4. ita explicat hanc sententiam, ut dicat illis diebus Dæmonem tentasse Christum, & longinquo per somnium, per tristitiam, per ignauiam, & similia. Nec Diuus Thomas hic articul. 3. ad 2. ab hac sententia est alienus, sed intelligendam esse dicit non de illis tentationibus visibilibus, quas Euangelistæ narrant: sed de quibusdā alijs impugnationibus, quas fortè illo ieiunij tempore Christus est à diabolo passus. Et Caietanus addit probabile videri illis diebus Dæmones formasse corporeas similitudines varias ad tentandum Christum, sicut de Beato Antonio, alijsque Patribus anachoretis legimus. Denique hanc

sententiam sequitur Iansenius capite decimo quinti Concordiæ. Estigitur hæc opinio satis probabilis. Nam & per se credibile est Dæmonem fuisse valde propensum ad tentandum Christum, & nisi fortasse speciali Dei prouidentia fuit impeditus, magna solitudine ac diligentia id peregrisse. Præterea verba Euangelij fauere videntur. Nam licet verba Marci non ita urgeant, quia ille, rem breuiter, & concisè narrat, & simul dicit: *Tentabatur à Satana, & Angeli ministrabant illi.* Vnde sicut ex hoc colligi non potest, sæpius Angelos ei ministrasse illis diebus: sed solum post ieiunium, & tentationes, ita non potest colligi sæpius fuisse tentatum ante quadagesimum diem: sensus ergo erit in illis quadraginta diebus, vel immediate post illos hæc omnia accidisse. Ceterū verba Lucæ magis videntur fauere, quæ ita habent. *Agebatur à spiritu in deserto, vel, in desertum diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo, ubi in Græco deest illa particula, & vnde ille numerus dierum coniungi videtur cum verbo tentabatur, seu cum participio tentatus, quod est in Græco, scilicet quadraginta diebus tentatus à diabolo.*

Sed reuera sensus Lucæ non est alius è sensu Marci. Nam in Græco utrobique est participium, idemque contextus. Vnde rectè intelligi potest primum illud verbum dictum esse à Luca per recapitulationem, seu anticipationem; postea verò distinctè, suoque ordine esse narrata, quæ breuiter anticipata fuerant, quod frequens est in Scriptura iuxta sextam regulam Ticonij apud August. lib. 3. de doctr. Christ. capite 36. Quocirca nullum video in Euangelijs sufficiens fundamentum, ut asseramus illis diebus fuisse Christum à Dæmone tentatum. Deinde probabilius videtur Dæmonem non tentasse illis diebus Christum in forma visibili, & quasi humana persuasione, sicut postea fecit, quod rectè docuit hic Diuus Thomas, & est clara sententia omnium Patrum, quos sèct. præcedenti retuli, Ignatij, Hilarij, Hieronymi, Chrysostomi, Ambrosij, Cypriani, & aliorum, qui dicunt Dæmonem non fuisse autum aggredi Christum, donec eum conspexisset esurientem, & humanam patientem. Valde enim timebat, ne fortasse esset plusquam homo, propter ea quæ de illo audierat, & viderat. Et ideo quandiu in deserto illum vidit vitam agentem supra humanæ naturæ conditionem, & nihil sentientem, nec occasionem inuenit, nec ausus est aperire cum illo congregari. Rursus secluso hoc tentationis genere, cum ipse non potuerit Christum tentare interna tentatione: sed tantum externa per suggestionem, vix apparet, quibus alijs modis tentare eum illis diebus potuerit, nisi fortasse obiecta aliqua sensibilia exterius proponendo, quibus vel terretur, vel perturbaretur, vel excitando strepitum vehementem, aut proponendo monstrosas figuras, & imagines. Qui sane modus possibilis quidem fuit: sed tam puerilis mihi videtur, ut vix credam Dæmonem iis modis aggressum esse Christum, cuius insignem virtutem, & perfectionem, vel inuitus agnouerat, & dignitatem Diuinam suspicabatur, ac reuerabatur. Quocirca illæ Origenis exaggerationes nimis sunt, & sine aliquo fundamento scriptæ: verba autem Euthymij minus cautè dicta. Quia dæmon non poterat torpori, vel segnitiei in Christum immittere, quia hæc pertinent ad intrinsecum tentandi modum, & ad imperfectionem fomitis, cum hæc sine aliquo affectu sensibili minimè fiant: quem non potuit Dæmon in Christo excitare: sed externa solum obiecta proponere, ac repræsentare. Atque de tentationis tempore hæc tenentur.

Secundo de loco tentationis docent Euangelistæ Christum ductum esse in desertum, ibique tentatum esse, quare dubium non est, quin CHRISTI tentatio in deserto aliquo modo sit facta. Cuius variæ rationes morales traduntur à Patribus locis

Christus tentari quando cepit.

Respons. Quot diebus & quando tentatus à Dæmone Christus sit. August.

Beda,

Origen.

Euseb.

Psalm 90.

Euthym.

D. Thom.

Caiet.

D. Thom. Cyprian. locis citatis, quas hic articul. 2. attigit D. Thomas. A Quibus addi possunt duæ, quas indicauit Cyprian. alteram ijs verbis. *Locus secretus eligitur, quia solius Dei iudicio ieiunia sunt agenda.* Quam latè prosequitur, docens voluisse Christum hoc exemplo docere in huiusmodi externis operibus virtutum in primis humanas esse laudes fugiendas. Quæ ratio licet à Cypriano in ieiunio explicetur, eandem, maioremque vim habet in insigni victoria de Dæmone reportata. Quod infra declarat dicens recessisse in desertum, vt fugiendo mundum, expeditior esset ad Dæmonem superandum. Vnde alteram rationem his verbis adiungit. *Vt anima expedita liberius obuiet impugnant, securior est congressus, vbi singula non velleant dimicantem, nec inebrians animam lenocinia voluptatum.*

Dubium. Difficultas verò communis hoc loco est, an tota illa tentatio peracta fuerit in deserto. Ratio dubitandi est, quia quamuis Matthæus, & Lucas referant, primam tentationem factam esse in eodem deserto, in quo Christus ieiunauit: secundam tamen in pinnaculo templi: tertiam vero in monte excelso narrare esse factam. Circa hoc quidam dicunt reipsa omnes tentationes fuisse in deserto factas, & Christum non verè, sed imaginariè tantum ductum esse in Ierusalem super pinnaculum templi. Ita refert hic Diuus Thomas: & videtur insinuarè, licet subobscurè, Cyprianus dicto sermone, dum ait. *Localiter quidem in deserto prima fuit tentatio: sed cæteræ eo modo circumdedit tentatoris astutia, quomodo Ezechiel, cum super fluium Chobar sederet Ierosolymam raptus in spiritu, ciuitatem edificat, & metitur, & muros & templum instaurat, hoc modo super culmen templi Christus erat in spiritu.* Et potest hoc fluaderi, quia in Euangelio dicitur, Dæmonem ostendisse Christo super excelsum montem posito omnia regna orbis terræ: quod nequit intelligi secundum veram, ac realem præsentiam. Quia non poterant simul omnia regna mundi ita obijci oculis, ac fieri localiter propinqua, vt verè, & in seipsis cernerentur, ergo necesse est id secundum imaginariam præsentiam intelligi: ergo eadem ratione cætera quoque possunt intelligi.

Respons. Nihilominus vera sententia est, Christum Dominum verè, & corporaliter ductum esse Ierosolymam, & super pinnaculum templi collocatum. Ita sentit Diuus Thomas hic, & Caietanus contrariam sententiam *figmentum* vocat, quia verba Euangeliorum sunt satis expressa. Matthæus enim sic ait. *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, seu, in Ierusalem (vt dicit Lucas) & statuit eum supra pinnaculum templi.* Quæ verba sunt historica, & propriè possunt intelligi. Deinde subiungit Euangelista, dixisse Dæmonem, *Miste te hinc deorsum, quæ verba necessariò supponunt CHRISTVM reuera fuisse in loco illo iminenti positum, quia (nisi ita esset) non posset inde se præcipitem agere.* Præterea, quia Dæmon non poterat interius immutare Christi phantasmam (hoc enim non decebat) sed externa solum obiecta proponere, non poterat ergo efficere, vt CHRISTVS imaginaria apprehensione supra pinnaculum templi ferri videretur. Denique in hoc nullum est incommodum, nulla indecentia, vt videbimus. Quapropter Patres omnes ita hunc locum ad litteram intelligunt, vt verba sonant, vt ex omnibus supra citatis patet, & statim etiam nonnullos indicabimus.

Nec coniectura ex tertia tentatione sumpta quicquam contrariæ sententiæ confert. Quia etiam in illa reipsa Christus fuit ductus super montem excelsum, eique demonstraui Dæmon omnia regna mundi, non solum imaginaria cognitione, sed (vt rectè dixit Euthymius) digito ei demonstrans partes orbis, in quibus mundi regna sita erant, dicens. *In hac parte est regnum Romanorum, in illa Persarum, in illa Syrio-*

Fr. Suarez. tom. 2.

rum, & sic de alijs, & hoc gloriam habet in ijs rebus, illud in alijs, &c. Hoc ergo modo in momento, id est, in breui tempore, (vt Lucas ait) ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. Quæ omnia sumpsit Euthymius, ex Chrysostomo in imperfecto homil. 5. Theophyl. verò addit, *sensibiliter ei monstrasse in monte omnia regna, ante oculos ea apparere faciens.* Sed hoc quomodo fieri potuerit, vix intelligi potest, nisi fortasse veluti describendo imagines quasdam vrbium, quod non videtur necessarium.

Sed quæres rursus: quomodo Christus à Dæmone in hæc loca sit ductus. Cyprianus supra inconueniens ait esse credere diabolum eum tulisse, aut quod Christus ei ferendum se commiserit, cuius inlidias agnoscebat. Vnde concludit, proprio spiritu, id est, virtute animæ suæ Christum ad hæc loca deductum Dæmonis sequentem vestigia. In eadem sententiam propendunt Anselm. Matthæ. 4. & Origenes homilia 31. in Lucam: Diuus autem Gregorius homilia 16. in Euangelia sentit, Christum Dominum ab ipso Dæmone fuisse in templum, & in montem excelsum transportatum. Nec mirum (inquit) est, si se ab illo permisit in montem duci, qui se perculit etiam ab illius membris crucifigi. In eadem sententia est Chrysostom. homil. 5. imperfecti, & ferè reliqui expositores, & Diuus Thomas hic articul. 4. ad septimū. Et hæc sententia videtur magis consentanea verbis Euangeliorum. Primum, illud verbum *Assumpsit*, propriè hoc significat. Deinde etiam verbum illud *statuit eum super pinnaculum templi*, supponit quod ab ipso vehebatur. Et addi potest coniectura, quia hic modus erat facilis Dæmoni. Nam si humano gressu totum illud iter esset agendum non nisi longo tempore, & magna Christi defatigatione confici posset. Rectè vero annotat Diuus Thomas cum Chrysostomo, quamuis Christus per aera vectus sit, non permisit tamen, vt ab alijs cerneretur, ne aut scandalum, & admirationem eis ingeneraret, aut magis videretur.

Ex his ergo necessariò concluditur, non omnes tentationes factas esse in deserto: sed primam tantum: secundam vero in templo Ierosolymitano in pinnaculo, id est, in fastigio seu in summitate ædificij: tertiam verò in alio monte excelso. Quod autem fuerit illud desertum, & quis hic mons, quantumque inter se, & à Ierosolymis distauerint, affirmare non possum. Quia quamuis nonnulla in expositoribus legantur, mihi valde incerta sunt, & ambigua, fuerunt autem hæc loca singulis tentationibus accommodata. Nam locus desertus, vbi cibus humanus inueniri non poterat, aptus erat, vt homo famelicus cibum sibi miraculosè fieri optaret, locus eminens, & altus, atque in medio regiæ ciuitatis situs vanitati commodus: denique mons excelsus, opportunus apparebat, vt oculus multa conspiceret, quæ animus appeteret, & ideo ad tētandum de auaritia meritò electus est. Neque huic sententiæ Euangelistæ repugnant, cum ex eis potius deprompta sit. Nec enim affirmant omnem tentationem factam esse in deserto, sed solum Christum tentatum esse in deserto, quod verum est, quia ibi primò tentatus est, indeque sumptum omnis tentationis initium. Neque est incredibile, statim post vltimam tentationem Christum inuentum esse in deserto, propter verba Marc. 1. dicentis. *Et erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana, eratque cum bestijs, & Angeli ministrabant illi.* Ex quo loco videtur colligi hæc omnia peracta esse in deserto. Refert autem Matthæus illud Angelorum ministerium fuisse post vltimam tentationem, & omnes expositores intelligunt cibum illi, ac potum in eodem deserto, in quo ieiunauerat, ministrasse; ergo credibile est deductum esse in desertum è monte, in quo tentatus fuerat. Quod si hoc verum est, non est credendum, vectum esse à Dæmone, cum iam à tentando

Chrysost. Theophyl.

Dubium. Cyprian.

Anselm. Origen.

Greg. Papi.

Responsio.

Christus in templum, & montem excelsum à dæmone transportatus.

Chrysostom. D. Thom.

Loca tentationum opportuna.

Marc. 1. Post vltimā tentationem Christus in desertum reducitur.

A a 2 tando

tando destitisset, & Matth. & Lucas narrent statim ab eo recessisse, sed vel eorundem sanctorum Angelorum ministerio, qui iam in deserto mensam illi parauerant, vel sua cerè propria virtute, ut erat ei facillimum.

SECTION IV.

Quibus in rebus, quoque ordine, ac modo Christus tentatus fuerit.

Qua de re in deserto tentatus sit Christus.

TRia in titulo proponuntur, quæ ad complementum huius disputationis necessaria videri possunt & ideo breviter expedienda sunt. Primo igitur (quod ad res, seu materias harum tentationum attinet) omnes affirmant unam fuisse gulæ, alteram superbiam, seu gloriæ vanæ, avaritiæ alteram. In quo nulla ferè est difficultas, solum est circa primam aduertendum, illam vocari tentationem gulæ, quia in materia cibi versabatur, & quia inducebat Christum ad subueniendum fami modo indebito, in quo includitur nimis cibi appetitus, & inordinatus, non ex parte materiæ, seu quantitatis, quæ reuera non excessisset medium temperantiæ in homine sic esurienti, cui nec manducatio, nec talis species cibi prohibita erat, sed in modo iam explicato. Qui etiam vanitatem quandam continebat petendo miraculum, quod neque ad Dei gloriam pertinebat, neque ad alium finem tunc erat necessarium, sed solum cuiusdam ostentationis causa. Idem ferè in tertia tentatione adnotandum est. Nam licet promissio regnorum ad avaritiam pertineat: in ea tamen continentur ambitio, superbia, & similia vitia. Etenim appetitus regnandi, dominandi quæ libido hæc omnia complectitur, & ita in omnibus his tentationibus fuit præcipue intentata superbia, & vanitas, quamuis sub diuersis (ut ita dicam) coloribus, & ad diuersas materias applicata.

Illud præterea considerandum est, licet hæc ultima tentatio, ratione promissionis à Dæmone factæ, ad avaritiam pertinere dicatur: tamen ratione materiæ, seu actus ad quem inducebat Christum pertinuisse potius ad sacrilegium, & idolatriam. Tamen sicut Aristoteles dixit, qui furatur propter mæchiam potius est mæchus, quam fur, ita Dæmon inducens ad sui adorationem propter avaritiam, simpliciter dicitur de avaritia tentasse, & hoc ipsum in alijs tentationibus notandum est, quamuis in eis videatur paulatim processisse. Nam in prima, videtur respexisse ad aliquod de se non malum, nempe esurientis corporis refectionem, per medium tamen malum, & inordinatum. In secunda, respexit ad aliquid turpe quidem, & malum, sed quod de se videri posset, non admodum graue, ut est vana apud homines existimatio: per medium tamen magis, atque euidentius inordinatum. In terra verò manifestius prodidit malitiam suam, & ad summum malum contra Deum induxit, propter infirmum quoddam motuum, quod radix, & occasio vitiorum omnium esse solet.

Caietan.

Rectè etiam aduertit Caietanushoc loco, ita voluisse Dæmonem inducere Christum ad hæc vitia, ut in singulis diuinitatem eius explorare studuerit, ideoque in prima ab illo requisivit opus diuinitatis proprium, nempe ut rem vnā in aliam solo imperij sui nutu, verboque conuerteret: quod non nisi à Deo, vel saltem virtute diuina fieri potest. Vnde si Christus in testimonium, & probationem, quoddam esset filius Dei, prout à Dæmone exigebatur, opus illud patrasset, euidenter agnouisset Dæmon, quod optabat. Christus autem Dominus (ut notauit Irenæus libr. 5. contra hæres. capit. 21.) ita illum elusit. *Ut ad illud, si filius Dei es, taceris, & hominis confessionem excacaueris, dicens. Non in solo pane viuit homo. Et*

Irene.

hæc ferè omnia in secunda tentatione obseruari possunt, in qua etiam opus supernaturale in testimonium diuinitatis Dæmon postulat. Cui tamen ita Christus respondit, ut de sua diuinitate silens, & humanitatem recognoscens, ac secundum illam subiectionem ad Deum diceret, *Non tentabis Dominum Deum tuum.* At verò in tertia tentatione Dæmon nullum supernaturale opus exegit, quod de illo obtinendo iam desperasset: sed flagitauit potius opus omnino diuinitati contrarium, & iniuriosum, ut si verus Deus esset, tanta blasphemia, & illata sibi prouocatus iniuria, se Dæmoni potius adorandum imperaret, atque hoc modo suam diuinitatem proderet, Christus autem summa sapientia, & eximia auctoritate (qualis hominem iustum deceret) & Dæmonis temeritatem, audaciamque perfringit dicens, *Vade Sathana, & suam diuinitatem abscondit adiungens, Dominum Deum tuum adorabis.*

Ex quibus etiam relinquitur, quomodo Christus exemplo suo docuerit, qua ratione sint à nobis Dæmonis tentationes superandæ. Primò, verbo Dei & Scripturis sanctis vtendo. Secundò, diuina mandata in memoriam reuocando. Tertiò diuinis promissionibus confitendo. Quartò, tentatoris insidias percallendo, & nullam in earum, quas intendit, ei cooperando: sed magna fiducia in Deum, & auctoritate etiam, si opus fuerit, illum repellendo.

Secundo (quod ad ordinem pertinet) nonnulla est diuersitas inter Euangelistas, quoad secundam, & tertiā tentationē. Quia Lucas secundo loco tentationem de avaritia, seu idolatriam in excelsu monte factam commemorat. Matthæ, vero hanc ponit tertio loco, in secundo verò tentationem factam in templo, quam Lucas tertio loco recenset. Quapropter Augustinus libro 2. de consens. Euangelist. capit. 16. dubium relinquit, quid horum factum sit prius, quæ Diuus Thomas hic imitatur articulo 4. ad 5. Caietanushoc autem ibidem miratur, cur Augustinus hoc in dubium vocauerit, & certum existimat eum ordinem seruatum fuisse quem præscribit Matthæus. Quia in Luca nulla est vox, quæ ordinem indicet, sed simplex narratio vnus rei post aliam, ex qua serie narrationis non satis colligitur ordo rerum, at vero apud Matthæum multa sunt, quæ ordinem indicant. Nam finita prima tentatione, dicitur, *Tunc assumpsit* &c. quæ particula consequentem vnus post aliud indicat, & similiter post secundam subiungitur *Iterum assumpsit eum, &c.* Quibus verbis item ordo indicatur, & tandem absoluta vltima tentatione, concluditur, *Tunc reliquit eum diabolus.* Et hanc sententiam sequuntur communiter expostores omnes & veteres Patres, Hieronymus, Hilar. Chrysostomus, & alij supra citati, quibus addi potest Pacianus in penes de penitentia, in vltima parte, quæ est de baptismo, & expressius Cassian. collat. 5. ca. 6. Qui ordo tentationum est etiam ipsis rebus magis accommodatus, ut ex dictis, & ex ijs quæ D. Thomas tradit planè colligitur.

August. D. Thom. Ordo tentationum Christi.

Hieronym. Hilar. Chrysost. Pacian. Cassian.

Tertio de modo harum tentationum omnes dicunt apparuisse Dæmonem in specie visibili, ut ipsa verba Scripturæ insinuant. *Accidens tentator*, nam illud verbum motum corporalem indicat. Deinde ipsa mutata colloquutio etiam indicat corporalia organa. In qua autem specie apparuerit Dæmon non satis constat, omnes tamen existimant, in humana specie apparuisse, quia hæc ad loquendū, & audiendum est aptior. Et Carthus. addit apparuisse sub specie viri sancti. Denique credendum est apparuisse sub illa forma, quæ aptior ei ad persuadendum visa est: modus autem solum fuit per exteriorē sermonem, quia Dæmon non poterat Christi affectum, vel interiores sensus aliter excitare, ut in superioribus diximus, & notauit Damasc. libr. 3. de fide ca. 20. Vbi id confirmat, quia Dæmon non potuit alio modo Adamum tentare, ergo multo minus Christum.

Vade

Sub specie visibili Christi diabolus tentator apparet.

Vnde bene coniectat Caietanus hic, quamquam paucissimis verbis rei summa ab Euangelistis reteratur, tamen verisimile esse Dæmonem longa oratione fuisse vsum, vt Christum flecteret, quamquam verisimilius sit à CHRISTO solo vno, aut altero verbo Dæmonem fuisse superatum, ac repulsum.

QVÆSTIO XLII.

De Doctrina Christi, in quatuor articulos diuisa.



Einde considerandum est de doctrina Christi.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo, vtum CHRISTVS debuerit predicare solum Iudeis, an etiam Gentilibus.

Secundo, vtum in sua predicatione debuerit turbationem Iudeorum vitare.

Tertio, vtum debuerit predicare publice, vel occulte.

Quarto, vtum debuerit docere solum verbo, vel etiam scripto.

De tempore autem, quo docere incepit, supra dictum est, cum de baptismo eius ageretur.

ARTICVLVS I.

Vtrum conueniens fuerit, Christum Iudeis, & non Gentilibus predicare.



Ad primum sic proceditur. Videtur, quod CHRISTVS non solum Iudeis, sed etiam Gentilibus debuerit predicare. Dicitur enim Isaiæ quadragesimo nono. Parum est, vt sis mihi seruus ad iustificandas tribus Israel, & facies Iacob conuertendas, dedit te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terre. Sed lumen, & salutem CHRISTVS prebuit per suam doctrinam: ergo videtur, parum fuisse si solum Iudeis, & non Gentilibus predicauit.

2. Præterea, sicut dicitur Matthæi septimo. Erat docens eos, sicut potestatem habens. Sed maior potestas doctrinæ ostenditur in instructione illorum, qui penitus nihil audierunt quales erant Gentiles, vnde Apostolus dicit ad Romanos decimo quinto. Sic predicauit Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum edificarem. Ergo multo magis Christus predicare debuit Gentibus, quam Iudeis.

3. Præterea, Filius est instructio multorum, quam vnus. Sed Christus aliquos Gentilium instruxit, sicut mulierem Samaritanam Ioannis quarto, & Chananaeam Matthæi 15. Ergo videtur, quod multo fortius Christus debuerit multitudini Gentium predicare.

Sed contra est, quod Dominus dicit Matthæi 15. Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Sed Rom. 10. dicitur. Quomodo predicabunt, nisi mittantur? ergo Christus non debuit predicare nisi Iudeis.

Respondeo dicendum, quod conueniens fuit predicationem Christi, tam per ipsum, quam per Apostolos à principio, solis Iudeis exhiberi. Primo quidem, vt ostenderet per suum aduentum impleri promissiones antiquitus factas Iudeis, non autem Gentilibus. Vnde Apostolus dicit Roman. decimo quinto. Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcissionis (id est Apostolorum, & predicatorum Iudeorum) propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum. Secundo.

Fr. Suarez. tom. 24

Secundo, vt eius aduentus ostenderetur esse à Deo. Quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt: vt dicitur Roman. 13. Hoc autem debitus ordo exigebat, vt Iudeis, qui Deo erant propinquiore per fidem & cultum vnus Dei, prius doctrinæ Christi proponeretur, & per eos transmitteretur ad Gentes. Sicut etiam in celesti hierarchia, per superiores Angelos ad inferiores, diuina illuminationes deueniunt. Vnde super illud Matt. 15. Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel, dicit Hieronymus Non hoc dicit, quin & ad gentes missus sit: sed quod primum ad Israel missus est. Vnde & Isa. vltimo dicitur. Mittam ex eis, qui saluari fuerint (scilicet ex Iudeis) ad Gentes, & annuntiant gloriam meam Gentibus. Tertio, vt Iudeis auferret calumniandi materiam: vnde super illud Mat. 10. in via Gentium ne abieritis, dicit Hieronymus. Opponebat primum aduentum Christi nuntiari Iudeis, ne iustam haberent excusationem, dicentes, ideò se Dominum reiecit, quia ad Gentes, & Samaritanos Apostolos miserit. Quarto, quia Christus per crucis victoriam, meruit potestatem & dominium super Gentes. Vnde dicitur Apocal. 2. Qui vicerit dabo illi potestatem super Gentes, sicut & ego accepi à Patre meo: & Phil. 2. dicitur, quod quia factus est obediens vsque ad mortem crucis, Deus exaltauit illum, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, & omnis lingua ei cõfiteatur. Et ideò ante passionem suam noluit Gentibus predicari suam doctrinam: sed post passionem dixit discipulis, Matth. 16. Euntes docete omnes Gentes, propter quod, vt legitur Ioann. 12. cum imminente passione quidam Gentiles vellent Iesum videre, respondit, Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Et sicut August. dicit ibidem, se dicebat granum mortificandum in infidelitate Iudeorum, & multiplicandum in fide omnium populorum.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus fuit in lumen, & salutem Gentium per discipulos suos, quos ad predicandum Gentibus misit.

Ad secundum dicendum, quod non est minoris potestatis, sed maioris facere aliquid per alios, quam per seipsum. Et ideo in hoc maxime potestas diuina in Christo monstrata est, quod à discipulis suis tantam virtutem consulit in docendo, vt Gentes, quæ nihil de Christo audierant, conuerterent ad ipsum. Potestas autem Christi in docendo attenditur: & quantum ad miracula, per quæ doctrinam suam confirmabat, & quantum ad efficaciam persuadendi, & quantum ad auctoritatem loquentis: quia loquebatur quasi dominum habens super legem, cum diceret. Ego autem dico vobis: & etiam quantum ad virtutem rectitudinis, quam in sua conuersatione monstrabat sine peccato viuendo.

Ad tertium dicendum, quod sicut Christus non debuit à principio indifferenter Gentilibus suam doctrinam communicare, vt Iudeis tanquam primogenito populo deditus obseruaretur: ita etiam non debuit Gentiles omnino repellere, ne spes salutis eis præcluderetur. Et propter hoc aliqui Gentilium particulariter sunt admissi, propter excellentiam fidei, & deuotionis eorum.

COMMENTARIVS.

Sententia D. Thom. in hoc articulo est, conueniens fuisse vt Christus per se Iudeis tantum predicaret, gentibus autem per Apostolos, & discipulos suos. Cuius rei optimas, & perspicuas congruentias affert. Intelligendum est autem (vt ex eodem colligitur in solut. ad 3.) non fuisse simpliciter Christo prohibitum ne gentes doceret, cum interdum legamus id fecisse: sed missum esse dumtaxat, vt publice, & ex instituto Iudeis predicaret, non verò gentibus, vtque hoc conuenienti tempore reservaret per Apostolos exequendum. Ex quo recte colligitur Diuus Thomas in sol. ad 3. Christum non solum fuisse doctorem Iudeorum, sed etiam Gentium, modo

Christus
doctorem
gentium
quod
modo.

Ad 3. hinc